

Johann Christoph Hauer


Oratio De Waldensium Ortu Progressu Et Persecutionibus

[Altdorf]: Meyerus, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787614882>


Druck Freier  Zugang





106.

Fa-1092 (106.)



8.

ORATIO

De

WALDENSIVM ORTV PROGRESSV ET PER- SECVTIONIBVS

in

CELEBERRIMA ALTDORFINA

d. xiiij. Jun. A. O. R. MDCLXXXVI

publicè recitata

a

JOH. CHRISTOPHORO HAVER,
Norimbergensi.

Literis HENRICI MEYERI, Vniv. Typographi.

36
35
34
33
29
28
9
27
10
23
11
24
12
13
14
15
16
17

9

ORATIO
DE
WALDENSIUM ORTU
PROGRESSU ET PER-
SECUTIONIBUS

in
CELEBRATIMA ALTDORFIA
A. MDCCLXXXVII
publicè recitata

JOH. CHRISTOPHORO HAYER,
Nordinbergenſi.

Libris Henrici Mayeri, Univ. Typographi.



PROGRAMMA

DECANVS

ORDINIS PHILOSOPHICI

M. MAGNVS DANIEL OMEIS;




Ethic. & Eloqv. Prof. P.

L. B.

S. P. D.

Vidit & exhorruit nostrum, quod agimus, seculum Persecutiones duas, quibus Christiani in Christianos tanta sævierunt immanitate, quanta olim nec Nero, nec Domitianus, gentiles. Prior accidit anno seculi hujus primo & quadragesimo, quo in Hibernia Pontificii tam horribili laniena adversus Protestantés tota grassabantur Insula, ut plusquam ducenta hominum millia paucis mensibus rabies Papicolarum absumferit, nullumq; tormentorum & mortium genus reperiri potuerit, quo non vexarent ac dilacerarent insontes. Pleriq; ferro, igne, submersione, suspendio enecti; plurimi spirantes adhuc terra defossi; aliqui à canibus ac feris dilaniati, lapidibus obruti, carbonibus tosti, ferventibus ahenis merfi; alii puteis injecti, aut mucronibus in mare ac flumina protrusi, ac siqui ad litus aut ripam enatarent, contis confixi & in aquam denuò repulsi. Virgines nobiles totam noctem capillis de arboribus suspensæ, cum orta luce vitæ quid residuum in illis deprehenderetur, obtruncatæ protinus. Vxor jugulare maritum, filia matrem, soror fratrem cogebatur; ipsa verò, ultima velut victima, Orco immolabatur. Depingit vivis coloribus hanc aulæ infernalis imaginem Auctor anonymus Glossæ Ordinariæ ad Literas Circulares Alexandri Papæ VII. Obstupuit orbis atq; intremuit, inter illos, qui Christiani dici volunt, & quidem Catholici, talia reperiri portenta in exitium humani generis nata; ipseq; Rex Carolus tam immensam innocentum subditorum stragem deploravit acerbè; in rebelles latrones condignam expeditionem ultionemq; jam meditatus, quæ tamen civili bello infeliciter fuit impedita.

36
35
34
31
29
28
27
25
24
23
13
14
13
12

rioris Persecutionis tempestas Lugdunenses concussit Alpes, anno seculi quinto & quinquagesimo, inq; miseros Pedemontanos desæviit atrociter. Dicti quippe anni mense Aprili, ingens exercitus ex legionibus Sabaudicis, Gallicis Hibernisq; conflatus, effrænato ac furioso Convallenses illos irruere impetu, mox omnia ferro flammisq; vastare, nec morte simplici, sed inauditis antea tormentis lentisq; & crudelissimis suppliciis homines ad imaginem Dei conditos, Christiq; sanguine redemptos, excarnificare. Nunquam à Diocletiani temporibus par sævitia in Christianos adhibita legitur: eamq; lanienam omnem *Samuel Morland*, Anglicanus tunc ad Ducem Sabaudix Legatus, integro descripsit volumine, & omnia certissimis incorruptorum virorum, ipsorumq; Papistarum, testimoniis comprobavit. Evolve, ac invenies ibi nil nisi fumantia passim tecta, succisas arbores, cruentam humum, senes centenarios in lectulis combustos, infantes cunis ereptos, manibusq; dilaceratos saxisve allisos, jugulatas post stupra virgines, exsecta matribus ubera, disruptos ventres, elisos gravidarum partus canibusq; projectos, evulsa pectoribus corda, præcisa pudenda, intestina per posticum extracta, & Abfyri instar dispersa per campos membra. Invenies nil nisi præcipitationes, tostiones, combustiones, decollationes, suffocationes, eviscerationes, excerebrationes, impalationes. Da veniam, Lector, si quædam minùs Latine protulerim: talia enim non Latine sed barbaricè volunt enunciari. Nempe quæ *P. Ribaldus* Jesuita egregio hoc carmine, eoq; meritò Elegiaco, carnificem docet hæreticos maçantem:

Exilio portato, rogis imponito, ponto
Mergito, forcipibus cædito, ferto feris:
Ense ferito, necato fame, ferraque secato,
Compede stringe pedes, fune ligato manus.
Ossa revellito, crura refringito, rumpito membra,
Lictor, & in plures scindito particulas!
Hinc aditum ad crates referato, notatoq; fibras,
Cerne sinisterius dexteriusq; latus!
 hoc laniones isti Sabaudici egerunt strenuè, & ipsum quoq; magistrum

❦ ❦ ❦

gistrum superarunt discipuli. Ultra sex hominum millia absorpsit illa strages, nullo habito vel ætatis vel sexus discrimine. Et tamen Mater Ducis respondebat Legato Anglicano, paternam tantum & lenem castigationem de immorigeris & rebellibus subditis fuisse sumtam. Illi verò Pedemontani, radices Alpium & valles quasdam in ditione Sabaudica incolentes, sunt *Bonorum Hominum*, jam quingentis ab annis Romanam Ecclesiam pro Apostatica habentium, ac sinceriores fidei doctrinam profitentium, vitæq; inculpatæ studiosissimorum, reliquiæ. *Waldenses* vocantur, quorum majores seculo post C. N. duodecimo, in sylvis ac speluncis cum Elia aliisque Prophetis antea delitescentes, in publicum prodierunt, errores Papatus detexerunt, ecclesias reformarunt: & quanquam horrendis persecutionibus subinde affligerentur, auctiores tamen magis ac magis universum impleverunt Occidentem; ut jure istud Tertulliani illis applicare queas: *Plures efficimur, quando à tyrannis metimur. Per ipsas lucet ærumnas decus. Quò plus sanguinis funditur, eò uberior in agro Domini conspicitur.* Eorum vestigiis postea in Anglia Johannes Wiclef, in Bohemia Joh. Hufs insisterunt, neque Confessionem eorundem improbavit Lutherus Megalander. Cumq; adeo tota de Waldensibus historia lectu & auditu sit dignissima, multumque inferviat non tantum refutandæ illi Pontificiorum, quam ad ravim solent ingeminare, quæstioni: *Ubinam fuerit Ecclesia nostra ante Lutheri tempora?* sed & cognoscendo penitiùs statui, in quo hodie iterum versantur Pedemontani, altissimis in montibus novum exhibentes miseræ theatrum, & secundum Naturæ omniumq; gentium jura, pro viribus, animoq; in mortem obfirmato, se defendentes: eapropter de **WALDENSIVM ORTV, PROGRESSV, ET PERSECVTIONIBVS** doctissimam conscripsit Orationem Vir juvenis Ornatissimus inque Musarum sintu natus & educatus, D. N. JOH. CHRISTOPHORVS HAVER, Noribergensis, Philos. atq; Elegantiorum Artium Cultor perindustrius; eamque ad crastini nonam in Auditorio Theologico declamabit publicè. Equidem haud ignoramus, quàm præclarè de Waldensium Dogmatibus & Persecuti-

onibus posteritati tradendis meruerint aliquot Chronicorum
Waldensium Auctores, item Petr. Wefenbecius, Christopho-
rus Richter, Jo. Gerhardus, Egid. Strauchius, Balthasar Ly-
dius, Joh. Paulus Perrinus, Samuel Maresius, Joach. Hester-
berg; nec non in Historiis tum Ecclesiasticis tum Profanis, Thu-
anus, Sleidanus, Hornius, Boxhornius, aliiq; Viri longè celeberrimi: ausim tamen scribere, singulari planè opera ac diligentia Oratorem nostrum, svasu quidem meo ac moderamine, ex vasto illo ac diffuso Scriptorum laudatorum, imò plurium, Oceano, in hanc veluti maris Caspii brevitatem cuncta, certè pleraque, commemoratu de *Waldensibus* digna contraxisse, justoq; & concinno ordine disposuisse. Adeste ergò, sic ea qua par est observantia & humanitate rogo,

MAGNIFICE DN. RECTOR,
PERILLVSTRIS ET GENEROSISSIME
DN. BARO,
EXCELLENTISSIMI PATRES ACADEMICI,
NOBILISSIMI ERVDITISSIMI QVE
DNN. STUDIOSI,

remq; omnem cognoscite! Erit hæc Vobis dissertatio tantò minùs ingrata, spero, quantò spissioribus tenebris hostiumq; mendaciis argumentum ejus obfuscatum, passimq; Historiarum in annalibus vel decurtatum est vel dispersum; dignissimum tamen, quod dilucidè & continuato proponatur ordine: quoniam Waldenses fuère primi, qui, rosea velut aurora, renascenti præluxerunt Evangelio, ac plenum diem prænunciarunt mox oriturum, inq; diversis Europæ provinciis cœlestem veritatem multis cruentisq; martyriis testati sunt fortiter,

*Duris ut ilex cæsa pipennibus
per damna, per cædes, ab ipso
ducit opes animumq; ferro.*

Venite igitur, ac persuasi este, nos pro navata nobis opera haud ingratos fore morituros. P. P. ALTDORFI NORICORVM,
D. XVII. JUN. A. O. R. MD C LXXXVI.

ORA-



ORATIO.

Magnifice Vniuersitatis DN. RECTOR,
Perillustri ac Generosissime DN. BARO,
Excellentissimi Celeberrimiq; PATRES ACADEMICI,

Domini PATRONI ac PRAECEPTORES plurimum
 observandi;

Tuq; *Nobilissima & Florentissima reliquorum*
 AUDITORVM Corona!



Mnia inter disciplinarum genera, in quibus studio-
 sam iuventutem vires suas experiri decet, nullum
 jucundius, nullum elegantius, utilius nullum esse
 studio Oratorio, vix quenquam, qui amat bonam
 mentem, negare posse existimo. Permultum
 enim Svadae vis valet in Choro ac Foro, valet hi-
 laritatis ac tristitiae, pacis & belli tempore; imo
 una saepe Agrippae oratio totas urbes & regiones ab interitu vin-
 dicare, seditiosamq; turbam compescere potest;

--- *veluti magno in populo cum saepe coorta est*
seditio, sevitq; animis ignobile vulgus,
jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat:
tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant;
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Vis

36
5
24
31
29
28
27
23
24
23
13
14
15
16
17

Vis præterea ac flumen orationis sicut præclara hominum ingenia resq; virtute gestas immortalitati laudando commendat: ita nec occidere patitur, quibus ob flagitia, persecutiones & carnificinas hominum innocentum, æterna debetur nominis infamia. Quid mirum ergo si & ego, artis hujus homine dignissimæ ac studii perquam utilis, amore flagrans hæc rostra conscendo? Vbi quidem occurrit statim, quod de Antiochenis memoriæ prodidit festivus ille, si quisquam, Dialogorum scriptor Lucianus: Apud illos, cum brevioris staturæ & pusilli corporis histrio in scenam prodisset, qui Hectoris personam ageret, dicax populus illicò exclamavit, *Astyanactem se videre, Hectorem desiderare!* Haud parum & ego quoque vereor, ne, cum dignitas æque ac gravitas argumenti, de quo nunc agere constitui, Hectorem aliquem, id est, magnum & insignem Oratorem exigat, summopere Vos miremini, quid sit, cui ego vix Astyanax, tenuisq; ingenii juvenis, in conspectum Vestrum prodire non dubitaverim. Verùm enim verò, cum *sape etiam olitor valde opportuna locutus*, ac certè argumentum propositum tempori huic maximè sit conveniens, atque insuper exploratissimum ego habeam, Vos magno animi affectu publicè hoc ex loco dicentes semper profecutos esse; idcirco in hac humanitatis Vestræ jucundissima recordatione meritò acquiescens, dicam nunc de WALDENSIUM ORTV, PROGRESSV, eorumq; PERSECVTIONIBVS. Nôstis enim omnes, quantas nomen illud in Pedemontio hodie rursus excitet tragœdias, quibus insectationibus petantur & agitentur homines miseri à Sabaudò & Gallis. Antequam verò provehar altiùs, & ad propositi argumenti tractationem mea decurrat oratio, à Vobis, Auditores Ordinum omnium honoratissimi splendidissimiq;, qua possum animi demissione contendo, ut tenuitatem meam & in dicendo infantiam Vestro favore & benevolentia dignemini, quò declamatio mea his velut secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit portum, faciliùs consequatur.

REm quandam prolixius enarrare, ejusdemq; Origines silentio præterire velle, non sapientis sed insipientis esse existimo: quid enim aliud ille profert, nisi nudam tantum verborum copiam neglectis aliis ad propositum maximè necessariis, scituq; dignissimis? Idcirco haud inconsultò acturum me fore arbitror, si in originem primò atq; auctorem Waldensium (de quibus nunc verba facienda)

facienda) animi mei aciem intendam. Salutemus fontem, antequam secemur rivulos! Denominationem acceperunt Waldensium Ecclesiam à Petro quodam Waldo, qui à patria Waldis, quod est oppidum in Marchia Galliarum, isthoc nactus cognomen, circa medium seculi à Christo nato duodecimi, cum Pontificum fastus ad *ci. m. vii* jam pervenisset, ac Cimeriis Papatus tenebris involverentur omnia, puriorem verbi celestis doctrinam in variis primùm Galliarum, postea Europæ provinciis, spargere cœpit. Audite, si placet, Thuanum, Parisiensis Parlamenti, quod vocant, Præsidentem quondam amplissimum, scriptorem eloquentia, doctrina, libertate, prudentia & fide, præsertim in rebus Gallicis, quibus ipse interfuit, nemine inferiorem: *Petrus Waldus*, inquit, *civis Lugdunensis*, *lib. 6.*
Waldensibus nomen dedit. Is (ut monumentis testatum reliquit Vidus Perpignanensis, præsul Lodevensis, qui quasitoris in Waldenses munus exercuit) domo ac bonis relictis totum se Evangelica professioni devoverat, & Prophetarum atq; Apostolorum scripta populari lingua vertenda curaverat, antiquorum etiam Patrum aliquot testimoniiis adjunctis; quibus in animum defixis, ingenio suo & sensu fretus, prædicationis munus sibi sumserat, perq; plateas & vicus Evangelium plebi interpretabatur. Ab hoc ergo Petro (quem perperam nonnulli Johannem vocant) Waldo, ii qui doctrinam ejus sunt secuti, Waldensium traxere nomen. Postea verò quidam ex illis Vallenses se appellarunt, eò forsan, quod in valle habitent lacrymarum. Alii Waldensium nomen ab Alpium anfractibus, in quos se jam pridem receperant, deducere volunt. Alii eos Convallenses, quasi convallium incolas, appellitant. Dicebantur insecutis temporibus Albingenses, Fratricelli, Hæretici Tolofani, Cathari, & quis omnia eorum nomina recenseat? Et quia Waldus civis fuit Lugduni, quæ urbs Galliarum Lyon, vulgò *Leon*, appellatur, inde sectatores ejus dicti fuere Lugdunenses ac Leonistæ; item per contemptum Pauperes de Lugduno, quia urbe hac mox ejecti, unà cum Waldo jacturam fecerant bonorum omnium, coacti pauperum more de victu sibi prospicere. Impulit verò Waldum, ut fidei vitæq; puriorem eligeret rationem, inopinatus fortuitusq; casus. Erant unà Magnates quidam, (more Italis & Gallis recepto) ac depellendi tædii fallendiq; otii causa varios serebant sermones: tum verò unus ex iis, spectantibus reliquis, subitò mortuus corruit. Perculsis

B

culfis

cultis cæteris; Waldus hoc iræ divinæ ac fragilitatis humanæ exemplo admonitus, de emendanda vita, & vera pietate ardentius impofterum colenda cogitare, pofterea eleemofynas distribuere pro facultatibus largiffimas, facris incumbere, fuos & alios, qui quacunq; occasione ipfum conveniebant, docere, de vitiis admonere, pœnitentiam urgere, fincerum Dei cultum vitæq; probitatem fvadere; atq; ita brevi maximam urbis partem ad fe trahere. Docuit verò Waldus (fecundum alios *Waldo*) publicè: Papam reliquis Epifcopis parem effe; Inter sacerdotes nullum dari difcrimen; Presbyterum non dignitatem fed vitæ meritum efficere potiorum; Animas è corporibus excedentes aut in æternam veftigio pœnas mergi, aut perpetua confequi gaudia; Purgatorium ignem nullum inveniri; Vanum effe orare pro mortuis, & avaritiæ facerdotalis inventum; Dei & Sanctorum imagines potiùs tollendas quàm colendas effe; Confirmationem, quam Chrifmate Pontifices inducunt, & Extremam Vñctionem, inter Ecclefiæ Sacramenta minimè contineri; Baptifma fluvialis undæ, nulla interjecta facri olei mixtura, recipiendum; Suffragia sanctorum in cœlis cum Chrifto regnantium ne quicquam impetrare, utpote quæ juvare non poffint; In Canonicis horis cantandis dicendisq; fruflra tempus teri; Jejuniis cæterisq; ab Ecclefiâ institutis excogitatisq; nihil in effe meriti; Aquarum Palmarumq; benedictiones ridendas; denique (nolo enim fingula perfequi) Sacerdotales veftes, Altarium ornamenta, idq; genus reliqua hominum commenta, nihil ad promerendam Dei gratiam habere momenti. Hæc maximam partem ex *Æneæ Sylvii*, pofterea *Pii II. Pontificis Romani*, *Historia Bohemica*. Cæterum, prout ex *Sleidano*, & aliis, patefcit, paulò ante medium feculi fuperioris, Regi Galliarum Waldenfes doctrinæ fuæ Confeflionem obtulerunt fcripto comprehenfam, cujus hæc fuere capita: de Deo patre Creatore omnium rerum, de Filio Intereffore & Advocato generis humani, de Spiritu Sancto, Confolatore & Commonftratoe veritatis; de Ecclefiâ, quam aiebant effe cœterum electorum, & caput habere Jefum Chriflum; de Miniftris Ecclefiæ, quos loco removendos effe dicebant, nifi faciant officium; de Magiftrato, quem institutum à Deo fatebantur, ut bonos defendat, fontes verò puniat, illiq; non honorem modo, fed tributum etiam & vectigal deberi, nec ullum ordinem hic excipi oportere; nimirum exemplo Chrifli, qui vectigal ipfe folvit; de Baptifmo, quem fignum effe vifibile dicebant & externum, quod

cap. 35.

Sleid.
lib. 16.

quod nobis & renovationem spiritus & mortificationem membrorum repræsentet: de Cœna Domini, quam gratiarum actionem, & beneficii per Christum accepti commemorationem esse, affirmabant; de Matrimonio, quod cum sanctum sit & institutum à Deo, nemini prohibendum esse judicabant; de bonis Operibus, quæ nobis colenda esse docebant & exercenda, sicut sacræ literæ demonstrant; de falsis dogmatibus, quæ cum à verò cultu nos abducant, vitanda esse pronuntiabant. Ad summam, fidei suæ normam & regulam esse professi sunt Vetus & Novum Testamentum, seq; credere omnibus iis, quæ in Apostolorum Symbolo continentur. Consentiunt ergo si non in omnibus, certè in plerisq;, nostra cum Religione. Vita verò cum sit Fidei testis, inculcavit Waldus auditoribus suis probè, vitam moresq; rectos puriore cum fide ut conjungerent, & humilitati, liberalitati, castitati, sobrietati, mansuetudini, charitati, aliisq; virtutibus studerent diligentissimè. Quod adeo egerunt illi, ut ipsi hostes, invidia frustra ringente, de vita eorum inculpata testimonia perhiberent illustrissima. Ex quibus nunc tantum producam Reinerium ex Ordine Prædicatorum, qui circa medium seculi XIII. adversus Waldenses calumiam strinxit. Is ait: *Heretici hi cognoscuntur* (sive à Catholicis differunt) *per Mores & Verba. Sunt enim in moribus compositi & modesti: superbiam in vestibus non habent, quia nec preciosis nec multum abjectis utuntur.* Et paulò post: *Casti etiam sunt, ac temperati in cibo ac potu. Ad tabernas non eunt, nec ad choreas, nec ad alias vanitates. Ab ira se cohibent; semper operantur, & vel discunt vel docent.* Idem Reinerius in hæc tandem erumpit verba: *Inter omnes sectas, quæ sunt, vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesia Dei, quam Pauperum de Lugduno, tribus de causis. Prima, quia diuturnior; quidam enim dicunt, quod duraverit à tempore Sylvestri; alii dicunt, à tempore Apostolorum. Secunda, quia est generalior; fere enim nulla est terra, in qua hæc secta non serpat. Tertia, quod omnes alia, cum immanitate blasphemia-rum in Deum, horrorem inducant; hæc Leonistarum magnam habeat speciem pietatis, eò quod coram hominibus justè vivant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Symbolo continentur. Sed è diverticulo in viam.* Cum ita per quinquennium

Petrus Waldus hujusq; asseclæ Lugduni vitam degissent, ac docuissent, cogitantes de propaganda veritate in Tolosanā & Narbonensem provincias digressi sunt; ubi cœtus agentes, tantum abest, ut ejecti, ut potius tolerati Patronos partium suarum saniorē doctrinā amplexos acquisiverint præpotentes. Favebat illis Petrus Rex Arragoniæ; item Marchiones Gothiæ, qui postea Comites S. Egidii & Tolosates appellati sunt, atque ex his præcipuè Raimundus, Regis Franciæ consobrinus; nec non Raimundus Rogerius, Bitterarum & Carcaffonæ Comes, Petrus Rogerius Gabareti Regulus, Raimundus Fuxensis, Regis Arragoniæ propinquus, Gualto Bearnii Princeps, Comes Bigerronum, Domina Lavauraci, Comes Carmanii, Raimundus de Thermis, Americus de Monstrolio, Guilielmus de Minerbio, & innumeri alii nobilitate insignes; qui omnes Waldensium suscipientes patrocinium opibus illos, atq; ubi necessitas id efflagitabat, militibus adjuvant. Posteaquam verò excommunicationis fulmina in illos vibrata, & persecutionum turbines (de quibus dicenda statim plura) ceperunt, latè fuerunt dissipati, inq; varias sese regiones effuderunt. Et enim præter Galliæ provincias Narbonensem & Aquitanicam, in Picardia, Sabaudia, & Pedemontio fixere sedes. Ipse Petrus Waldus, relicta terra patria, in Belgium progressus, inde in Germaniam transiit, ac diu per Vandalicas civitates diversatus est, teste

lib. 6. Thuano. Guido Perpinianus lib. de Hæresibus refert, etiam in Anglia circa A. C. 1174. Waldenses docuisse. Quin & ipsa in Italia Waldensium sedes fuisse, eosq; mirum in modum ibidem crevisse, testantur plus satis Historiarum annales. Et Lombardia quidem primò numerum eorum aluit insignem, adeo, ut ex aliis provinciis Mediolanum, tanquam in Academiam, suos mitterent veram Christi doctrinam edocendos. Post Lombardiam & Alpinos, Apulia illis abundavit & Calabria; quin per totum fere regnum Neapolitanum in Siciliam usque protensi fuere, quod patet ex Frederici II. Imp. edito adversus Waldenses edicto. Sed & Germania tam multos tenuit Waldensium, ut nonnulli illorum capti & Argentiæ ad rogam ducti, coram omni populo, si quis Colonia Mediolanum pergeret, quavis nocte eum hospitium apud suos habiturum, publicè fassii sint. Novit inprimis eos Alsatia, totusq; Rhēni tractus, item Saxonia, Svevia, Pomerania, Borussia, Silesia, Moravia, Croatia, Austria & Bohemia; in quibus postremis regionibus tanta Waldensium latitabat copia, ut quidam eorum
Pastor,

Pastor, Vindobonæ igni damnatus & ad supplicium ductus, plures quam octoginta millia his & vicinioribus in terris doctrinam suam amplexos fateri haud erubuerit. Quid? quod nec Hispania eosdem exclusit, eæ saltem provinciæ, qui Gallis conterminæ. Quin & in Poloniam, Livoniam & extremum Septentrionem transmigrarunt; firmissimas tamen radices ad hæc usq; tempora egerunt ad radices Alpium, & pedem fixerunt in Pedemontio. Ostupendam hominum horum latè disperforum multitudinem! *Accidit hoc Waldensium exilium non tantum humana aut diabolica persecutorum malitia, sed multò magis divino consilio, sicut Apostolorum tempore, ut per varias mundi regiones disperarentur, quò scilicet in omnem terram sonus eorum exiret, & veritatis lux dispergeretur; In Catal.* prout scribit Flacius. Scilicet ut crescit sub pondere palma; ita & *Test. Vedei* Ecclesia in miseriis floret, in tenebris lucet, in sanguine claret, rit.p.711. & hostium vel vi vel victoria triumphat. Sæviant in illam adversarii, vexent hanc hostes exilio, igne, ferro; nulla tamen vis, nulla crux, nulla tyrannis eam expugnabit, nullus Satanæ furor, nullus inferorum impetus eam infregit, nec infringet unquam: quin potius dum premitur, surgit ac latius propagatur, inq; patientiæ pulvere trophæum erigit, in Martyrum sanguine triumphat, laurum non pugnando sed ferendo reportans; calamitates enim & persecutiones velut domesticas habet & quotidianas: quibus etiam Waldenses tantum abest ut immunes fuerint, ut earum potius multò plurimas perpeffi sint easq; gravissimas. Etenim cum Pontifices horumq; satellites animadverterent, ex nova hac, ut illis videbatur, Waldensium doctrina haud leve detrimentum Romanæ imminere Hierarchiæ, cœperunt hi miseros affligere homines eosq; debilitare metu. Cui malo Lugdunensis Episcopus stravivit viam, qui primos Waldi conatus tulit ægerimé, eiq; ut homini Laico, sacras literas vernaculam in linguam vertenti, docendo declaranti, & jam cœtus quosdam domi suæ habenti, conciones ad populum prohibuit, institutionemq; in sacris interdixit; adjectis minis, fore aliàs ut hæreticus declararetur. At

ille velut pelagi rupes immota resistit,

dicens: in casu illo, à quo tot hominum pendeat salus, se tacere non posse; Deo enim, cujus instinctu hæc cœpisset, magis obediendum esse, quam hominibus! Episcopus igitur, cum Waldum propter populum, qui illi impensè favebat, in carcerem detrudere

haud valeret, quid fiat, Romam nunciat, & Papæ tum temporis Alexandri III. auxilium implorat; qui Episcopo mandavit, ut auxiliante loci Magistratu, quam posset celerrimè Waldenses prorsus extirparet; quapropter Waldus Lugduno pellebatur, amissis omnibus bonis. Variis dein calumniis adversarii eundem & assecclas proscindebant, ac præter crimina multiplicia commemoratu horrenda & pudenda, quæ his veritatis assertoribus affingebant, hæresium & perversissimarum in Religione Christiana opinionum eos accusabant. His Arianismi, illis Manichæorum doctrinæ reddebantur suspecti: objectabatur eis crimen promiscui concubitus, adulterii, perjurii, læsæ majestatis, veneficii, idq; genus alia; & hæc quidem impudentissimè ab hostibus rigidioribus. Qui verò paulò modestiores esse volebant, hæc tria tantum in illis damnabant: Oppugnationem Cleri, Invocationis Sanctorum, ac Traditionum. Et quamvis contrà ab aliis excusarentur, efficit tamen Dei ac Divinorum operum hominumq; atrocissimus potentissimusq; hostis, diabolus, ut objecta Waldensibus detestanda crimina, passim crederentur esse vera; cum tamen hæc tenus pacatè vixerint, studiis pietatis & vitæ inculpatæ dediti; unde & *Boni homines*, itemq; *Cathari* seu *Puritani* nominabantur. Crescit interea indies hostium numerus, è quibus Alexander III. Papa agmen ducens A. 1159. in Concilio Lateranensi primo, quod & Occidentali Conciliorum generale vocatur primum, Waldenses ut hæreticos damnat. Nota est eruditè inscriptio ad universam Concilii hujus picturam pertinens:

*Boxhorn.
Histor.
Univ. f.
p. 707.*

ALEXANDRO III. PONT. FREDERICO I. IMP.
WALDENSES ET CATHARI HÆRETICI DAMNANTVR.
LAICORVM ET CLERICORVM MORES
AD VETEREM DISCIPLINAM RESTITVVNTVR.
TORNEAMENTA VETANTVR.

Eundem, hoc est, infensissimum animum adversus Waldenses servavit Successor Alexandri, Lucius III. Papa, qui eos est execratus, illisq; duos & autoritate & potentia pollentes opposuit Monachorum Ordines, unum Fratrum Minorum, alterum Prædicatorum, Francisco Assisio Italo, & Dominico Hispano, Capitibus; quorum posterior jus Inquisitionis suis cum Monachis obtinens, vanis miraculis primum & concionibus, variis dein tormentorum generi-

generibus, se Waldensibus opposuit; imo sævitia ejus non tantum ad vivos, verum etiam ad mortuos, quorum ossa sepulchris erepta comburi jubebat, sese extendit: hoc amplius Simonem Comitem Montisfortensem ad arma strenuè hortatus est, præcipua adeò belli sequentis atrocissimi fax & tuba. Ignis enim persecutionum hæcenus in cinere latitans, nunc in ardentissimam erupit flammam aperti belli, dum An. salutis recuperatæ millesimo ducentesimo nono Innocentius III. Pontifex, Reges, Principes & universas nationes Romanam sedem venerantes, ad religiosam (uti vocabat) militiam adversus Waldenses, crucis signo sublato, & per orbem Christianum emisso, concitabat, varia eaq; horrenda crimina in eos confingens; quo factum, ut (dum pares Indulgentias illis pollicebatur, qui Waldenses bello invaderent, atq; illis, qui Saracenos oppugnatum irent, pecuniam quoq; in sacrum bellum contra juratos Christiani nominis hostes indictam, in Waldensium vertebat necem) multa millia crucigerorum istorum & sacrorum, si Diis placet, militum diversis ex gentibus, maximè verò Gallicana, Lugdunum se conferentia, Duce Simone Comite Montisfortensi, infectis signis Tolosatam ditionem peterent. Percussus igitur Raimundus Comes, insignis Waldensium Patronus, Legato Papæ submittere sese coactus est, qui stola collo injecta tractum in Ecclesiam flagris compulsi, in templo verò Egidii veste nudatum, frequentissimo hominum cœtu virgis cecidit. Captis verò mox oppidis, direptisq; urbibus, & arcibus quamplurimis solo æquatis, nullum crudelitatis genus prætermisum; incendia, rapinæ, cædes, stupra, ne inter facinora quidem numerabantur: Bitteræ expugnatae, & laniena hominum quinquaginta millium patrata; tum Carcaffona, ubi Rogerius Comes captus, & cæteris tam viris quàm foeminis sacri illi bellatores imperarunt, ut, si vitam conservare vellent, nudi egrederentur, & exercitum transfirent, partibus etiam illis, quæ honestè nominari non possunt, Sanctorum istorum Cruciatorum oculis expositis. Non jam dicam in Castro Minervæ quinquaginta illorum, qui agnitam veritatem mutare detrectabant combustos, alibi octoginta securi percussos; Girardam, feminam oppidi Vauri principem, quod in veritate perstaret, in puteum conjectam faxisq; obrutam fuisse. Tacebo de Careo, ubi sexaginta suspensi, de Epistagno Galliaco, Caufato, Fano Marcelli, Fano Antonii, Mossaco & Tolosa, ubi supra viginti millia hominum vel cæsa, vel in fluvio merfa. Quid multis? trucidabantur hoc

Papir.

Mason.

in Histor.

Gall.lib.3.

hoc in bello Waldensium amplius centum millia, quos inter Principes & Comites non pauci, ipseque Petrus Rex Arragoniæ in prælio cæsus. Miseranda sanè tum temporis Waldensis Ecclesiæ erat facies,

crudelis ubiq;

luctus, ubiq; pavor, & plurima mortis imago;

quinde ipsa jam actum esse videbatur. At Deus, qui suos ex ore & faucibus fati eripere novit, inopinatum immisit dissidium inter Principes hostilis exercitus, Burgundiæ Ducem & Comitem Nivernensem, quorum uterque abductis copiis suis subito castra reliquit; quo factum, ut horum discessu cum exercitus multum esset imminutus, & Montisfortensis bellum administraret languidius, hic ipse in oppugnatione Tolosæ ictus lapide occubuerit Anno Christi supra millesimum ducentessimum decimo octavo. Dissoluto igitur hoc exercitu Waldenses paulisper respirarunt. Verum ut *nil est sub sole perenne*; ita miseris hominibus vix octo annorum quies. Persuadebant enim adversarii Ludovico VIII. Galliarum Regi, repetitis in Albingenses criminationibus, additis etiam novis, ut arma in illos moveret; quod & factum anno seculi ejusdem sexto & vicesimo. Obsidebat enim Rex Avenionem, Waldensium Confessionem & partes sequentem, obsessam hostiliter expugnabat, expugnatam funditus debebat. Atque ulterius persequi hanc, ut persuasus erat, Ecclesiæ Reique; publ. sentinam constituit; sed consilia

omnia in aquoreos abierunt irita ventos.

Deus enim hac etiam vice velut *ἀπὸ τῆς μηχανῆς* funestam abruptit tragœdiam, exercitu omni vastato ac dissoluto, ipsoque Rege in discessu ad Montispenserium rebus humanis subducto, cum nondum ille totum regnasset triennium. Hoc è vivis sublato successorem ejus Ludovicum nominis hujus nonum, hostem habebant Waldenses, qui itidem expeditionem in eos molitus est, nec ullam horam periculo vacuam illis permisit, adeo, ut subinde aliqui eorum capti miserandum in modum cruciarentur. Objecta tamen haud multò post Regibus Gallicanis varia impedimenta, & bella tam domestica quam externa, gravia sanè & dura, ut Waldenses longius persequi penitusque delere haud potuerint. Quod providentiæ atque potentiae Divinæ nutu ductuque administratum perfectumque esse, fatendum est omnino. Interim quamvis induciæ &

pax

pax publica illis concessa, privatam tamen indefinenter experti sunt tyrannidem, ac trucidabantur passim quotidie quam plurimi; hi vivi cremati, isti securi percussi, infiniti alii aliis suppliciis gregatim affecti; posthæc & à Clemente IV. Pontifice proscripti, & vita & bona eorum libidini ac prædæ quorumvis exposita sunt, atque uno in loco, in quem fortè se receperant, quatuor millia eorum simul fuerunt obruta, superstitibus prærupta montium pentibus, inq; iis latibulum quærentibus. Petrus Veronensis, Dominicanus inquisitor, omnibus suppliciis in eos sæviit, donec insperato reperiretur mortuus: cædes Albingensibus imputata, et si immerito. Æterna etiam nominis infamia notandi sunt Inquisitores rigidissimi, Robertus Bulgarus Apostata, & Conradus de Marpurg; quibus examen orthodoxiæ erat candens ferrum, quo innumeri periere innocentissimi; ut Papa, audita illa re, exclamarit: *Insaniverunt Germani, atq; ideo delegerunt sibi insanos iudices!* Quin & plures Pontifices seculo XIII. & XIV. Waldensibus erant oppidò infesti, edentes contra ipsos edicta atq; decreta horribilia; quos inter Gregorius X, Innocentius IV, Alexander IV, Urbanus IV, Martinus IV, Honorius IV, Bonifacius VIII, Johannes XXII, Gregorius XI, & alii, qui omnes incitatissima in bonos hosce homines exercuere odia. Cumq; adeo tam crebris tamq; horrendis persecutionû turbinibus hinc inde dispellerentur, pars eorum confedit in Picardia; unde pulsî, alii in Angliam transfretarunt, à quibus Joh. Wiclefus sua hausit, alii per Flandriam & Germaniam, ubique Veritatis semina spargentes, in Bohemiam usq; penetrarunt, ubi facem prætulere Joh. Husso & Hieronymo Pragensi, postea Concilii Constantiensis decreto injustissime combustis. Quotq; adeo & quantas fortunæ vicissitudines passi sint Waldenses seculo XV. in Bohemia, nunc Wiclefitæ à dicto Wiclefo Anglo, nunc Hussitæ, à Joh. Husso, nunc Picardi, nunc Fratres Bohemi appellati, (quanquam hæc hominum genera non una ratione inter se differre norim) ex Zachariæ Theobaldi Bello Hussitico, alijsq; rerum Bohemicarum Scriptoribus, notissimum est; è quibus tot acerbas Waldensium afflictiones enumerare possem,

*quot frutices Sylva, quot flavas Tybris arenas,
mollia quot Martis gramina Campus habet.*

C

Vexa-

Vexabantur pariter in Gallia seculi ejusdem XV. A. sexagesimo & sequentibus, à Pio II. Pontif. Rom. & Ludovico XI. Galliarum Rege, tanta quidem sævitia, ut humanum excederet captum. Cumq; vix respirassent, ecce anno octogesimo septimo ab Innocentio VIII. Pontif. qui Waldenses penitus delere & nullo non tormentorum genere excindere satagebat, adversus eos magna mittebatur manu Albertus de Capitaneis, Archidiaconus Cremonensis, qui in Delphinatu omnia ferro flammaq; vastabat, certè non uti verum decet religionis propagatorem, quo titulo tamen volebat insigniri. Attamen non impunè hoc tulit bellua ista; Dei siquidem providentia factum, ut hostes, quorum octodecim millia erant, in varias partes distracti, & ab incolis sint trucidati. Nempe quemadmodum natura nullum produxit venenum, quin opposuerit remedium; ita Deus improborum conatus, aut pervertit interdum, aut objicit aliquid, per quod non statim liceat illis, quidquid libet. Ac potiti sunt eadem tempestate Waldenses novis fautoribus atque patronis; dum idem ille, qui paulo antea eisdem persecutus fuerat, Ludovicus XI. Gallorum Rex, publico diplomate illos protexit, & contra injurias defendit. Favebat quoque illis Philibertus Dux Sabaudia, maximè cum ineptas Monachorum calumnias re ipsa falsas deprehendisset, quibus mentiebantur illi, Waldensium liberos monstrosa esse forma, uno in fronte oculo, duplici palato & quaterna nigrorum ac pilosorum dentium serie aspectuq; formidabiles. Bene præterea ipsis cupiebat Ludovicus XII. Galliarum Rex, quo regnante hoc accidit commemoratu longè dignissimum. Nimirum Cardinales & Episcopi coram Rege Waldenses hæreseos, veneficii, aliorumq; criminum reos agebant, Regisq; animum ad bellum contra ipsos suscipiendum inflamabant. Merindolani verò & Cabrirenses (erant hi Waldensium reliquiæ) odorati, quæ Cardinales & Episcopi in se consilia coquerent, & quàm atrocibus delationibus aures animumq; Regis implere niterentur, legatos ad eum decernunt, per quos & innocentiam suam tueantur & bellum deprecantur. At illi legatos aditu Regis prohibere conabantur, Regem seriò monentes, ne illis dicendi apud se potestatem faceret; jure enim Canonico omne cum hæreticis consortium interdictum esse. Ad hoc Rex masculè, Etiam si, aiebat, mihi in Turcam aut diabolum bellum suscipiendum esset, eos tamen prius audire vellem! Dignum pror-

prorsus Rege responsum; quippe inauditum & indefensum quæquam damnare, nihil aliud est, quàm scepro & jure abuti. Accessiti igitur Legati cum introducerentur, debita cum reverentia exponebant, se suosq; Evangelium, Biblia, Symbolum Apostolicum, Decalogum, Sacramenta agnoscere atque amplecti: cæterum nec Papæ, nec ipsius doctrinæ adhærere; aliter si Rex deprehenderet, nullum supplicii genus se reculare. Mittit igitur Rex, veritatem rei cognoscere appetens, Adamum Finnæum libellorum supplicum Magistrum, & Parvum Dominicanum, qui ipsi à Confessionibus erat, ad facienda verba cum Waldensium Doctoribus, & deferendas illis nonnullas de Religione quæstiones. Reversi hi ad Regem referunt: Illis in locis homines baptizari, articulos fidei & Decalogum doceri, Dominicos dies religiosè coli, Dei verbum exponi, veneficia & stupra apud eos nulla esse, & in templis ipsorum neque imagines, neque ornamenta Missæ ulla se reperisse. Hisce Rex auditis, jurejurando, Et me, ajebat, & cætero populo meo Catholico, illi meliores sunt! O si omnibus Magistratus, omnes Principes, adversus Sycophantarum calumnias eos, qui errorum ac criminum convicti non sunt, hunc ad modum protegerent, & læpius perpenderent, neque in dictis neque in factis innocentiam fore, si accusare suffecerit! O si & alteram partem audiendam esse, semper cogitarent! Ludovico illi XII. qui Pater populi appellabatur, successit Franciscus, tam ob rerum bello gestarum amplitudinem, quàm propter instaurata linguarum & artium studia Magnus cognominatus. Hoc in Gallia gubernante, & paulò post Carolo V. clavum imperii Germanici capescente, Deus tandem Ecclesiæ suæ, per Pontifices horumq; ministros aliquot jam seculis circumductæ, delusæ, & obscurissima superstitionum caligine coopertæ, misertus est, excitans in Saxonia, & Schola quidem Wittebergenfi, sanctum Heroem, Martinum Lutherum, alibiq; alios magnitudine animi divina prorsus & multa eruditione pollentes viros, qui veritatem doctrinæ cœlestis, si non penitus fugatam dissipatamq;, certè abditam despectamq;, è latebris proferebant, disputationibus & scriptis illustrabant, ac longè lateq; propagabant. Quos inter Beatus noster Lutherus tam finistrè primò sensit de Waldensibus, ut (prout ipsius verba habent) non prius eos odio tanquam perditos homines prosequi desisset, quàm ex confessionibus scriptisq; ipsorum piis cognovisset,

summam optimis hominibus injuriam factam esse, & quos Papa pro hæreticis damnaverat, pro Sanctis & Martyribus esse laudandos. Exstant hæc, & plura ejusmodi Lutheri verba, in præfatione, quam Confessioni Picardorum præmisit: quæ quidem, quicquid antea durius in Waldenses ab ipso scriptum fuit, hoc omne abstergit ac tollit penitus. Posteaquam verò latius sincerior Verbi Divini doctrina propagabatur, hujusq; lux quaquaversum splendorem radiosq; suos diffundebat, Waldenses, pauperes licet, inq; obscuros locos, valles & sylvas furore atque insania adversariorum abactos, diulatare non poterat; quapropter ampliore agnitæ Veritatis ut acquirerent cognitionem, sacra volumina in vernaculum ipsis sermonem conversa typis publicari curabant; quosdam etiam ex suis Argentoratum mittebant, & Basileam ad eos, qui locis illis, dispulsa superstitionum caligine, propagationi repurgatæ religionis summo incumbabant studio; tandemq; ad ipsum Megalandrum nostrum Lutherum, quos ille, colloquio habito, & placidè collatis sententiis, pro Fratribus agnovit, & lecta ipsorum Confessione, Deo gratias egit pro tanta doctrinæ luce. Gratulabatur quoque sibi & illis, quòd, destructo nunc suspitionis interstitio, qua invicem hæretici videbantur, prope reducti sint simul unum in ovile, sub unum illum pastorem & Episcopum animarum nostrarum, qui est benedictus in secula. Sed rapacissimus ille lupus, malorum omnium callidissimus architectus & coryphæus, paucis quibusdam annis pace & quiete Waldensibus concessa, iterum anno seculi superioris quadragesimo in Gallia hostes in eos movet, ut (dum Biblia publicæ luci mandaverant, & doctrina illorum indies magis atq; magis, præsertim in oppido Merindolo ac vicinis, crescere cœperat) illos bello iterum peterent, confictis denuò turpissimis & horrendis criminibus, quibus non solum vulgo, verum etiam summo in provincia Senatui Aquisi, eos adeo reddebant invisos, ut crudelissima prorsus & sanguinaria hic adversus Waldenses sociosq; edicta ac decreta edere non dubitaverit, quò nempe omnes nullo ætatis aut sexus habito respectu, viri, virgines, pueri, puellæ, infantes, foeminae etiam gravidæ, adulti, senes, omnes inquam promiscuè & bonis suis & vita privarentur, dirutis ædificiis oppidum Merindolanum solo æquaretur, refecarentur ibidem arbores omnes, devastarentur horti, agri, & locus redderetur desertus omnino. Quid per Deum immor-

immortalem hoc iudicio, hac sententia, dici potest iniustius? Quid excogitari crudelius, quid ex omnium seculorum memoria cognitum est inhumanius? Quanquam verò sic erat pronunciatum, non tamen ea vis tunc adhibita fuit: Rex enim admonitus à nonnullis, præcipuè Guilielmo Bellafo Langæo, qui tum Prorex erat in Taurinis, ut de causa tota prius cognosceret, atrocissimam hanc violentiam inhibuit. Haud tamen multò post Senatus Auenensis præfectus, Joh. Minerius, copiis iussu Regis Anglicani belli causa passim conductis, ad Merindolanos aggrediundos utebatur, adducta ingenti multitudine quorumlibet hominum qui arma modo ferre poterant. Quo exercitu, qua nefariorum hominum manu (postquam finitima Merindoli urbis loca, & vicos omnes pecoribus suis spoliasset, incendisset vastassetque, & incolas, cum ardere omnia circumspectarent, relictis sedibus in sylvas confugientes, puerosq; & infantes in humeris, brachiis, inq; cunis gestantes, miserandum in modum trucidasset) ipsam ingressus Merindolum, urbemq; habitatoribus vacuum diripit ac incendit. Hac sede relictâ Cabrieram petiit, quodq; vi non poterat, fraude peregit ac dolo. Persuadebat enim oppidanis se nulla hostilia adversus eos moliturum, si modo portam aliquam patefacerent; intromissò verò milite, exiguum post moram, contra jus ac fas omne, sine ulla vel ætatis vel sexus habita ratione, omnes contrucidabantur. Miserranda ubiq; facies & excidio similis: hi ad ædem sacram, illi aliò, alii in arcis cellam vinariam confugere, sed foràs producti occidebantur ad unum omnes. Fœminæ complures in horreum straminis atque fœni plenum inclusæ, subjecto igne incendio periere; cumq; ex militibus quidam misericordia tactus aditum patefecisset, quò miseris esset evadendi facultas, repulsæ sunt in horreum telis & hastis militum reliquorum, & conflagrarunt omnes. Alibi etiam, in hortum aliquem mulieres atq; puellas confugientes, promiscuè constuprabant, & cum diem unum noctemq; eas detinuisent inclusas, gravidas pariter ac eas, quæ muliebris patientiæ legem accipere nondum poterant, miserimè vitam privabant. Complures alii per sylvas & cavernas oberrantes, capti, vel ad triremes & transstra damnabantur, vel confodiebantur, vel peribant inedia. Qui verò lanienam hanc effugerant, vagantes per sylvas, montes, valles, in summa rerum omnium inopia vitam exigere duram coacti sunt. Paulò tamen post monstrum hominis, Mine-

36
37
38
39
29
28
27
26
25
24
23
22
21
20
19
18
17

rius, morbo correptus horrendas dedit pœnas iudicio Dei. Et enim inusitata per posticam corporis partem sanguinis emissionem, paulatim inguina illi computruerunt. Cumq; nullum huic morbo remedium inveniretur, & jam intestina vermibus arderentur, arcessitus fuit celebris quidam Chirurgus, sed frustra; neque enim Medici eum sanare, neque aspicere poterant. Tandem igitur horrendas in Christum blasphemias impio ore evomens animam efflayit. O si omnes & singuli tam injusto crudelique modo in fidelium turbam sævientes à Minerio exemplum caperent, & iram Dei lento quidem gradu ad vindictam sui procedere, verùm tarditatem supplicii gravitate compensare discerent; profectò tot hominum cædes, tot innocentium clades, tot immanes Christianorum persecutiones, etiam hodierna luce, ad aures nostras non pervenirent! Sed malum hoc (cui solus Deus medicinam facere potest) ferendum potius, quàm dolendum! Habeant sibi purioris doctrinæ hostes, & expectent mercedem factis dignam! Et quamvis unus & item alter naturali perierit morte; non pauci tamen in fine vitæ suæ confessi sunt, se graviter deliquisse, quod vexaverint verè credentes. Quos inter etiam fuit Franciscus I. Galliarum Rex, qui proximo anno acerbam post executionem, (de qua modò dictum) cum ad vitæ exitum vocaretur, conscientia stimulis agitated intimeq; dolens, Henrico II. filio suo regnum destinaverat, addito hoc monito: ut ne sævitiam tantam in Waldenses admissam abire sineret impune. Et verò Henricus exacto nondum triennio in Taurinis hac de crudelitate admonitus, recordatus ultimorum Parentis verborum, edictum satis grave adversus novissimæ persecutionis coryphæos proposuit; quod, etsi destinatum effectum non consequeretur, est tamen sufficiens omniq; majus exceptione testimonium de narrationis hujus veritate: depingit quippe furorem Pontificiorum in Waldenses incredibilem, & horrendarum crudelitatum exempla edita, aliàs vix fidem admittentia; quanquam idem postea Henricus ad eundem sævitia scopulum impegit, & in eosdem conscientia laqueos cruciatusq; miserè incidit. Nam cum Waldensium asselas variis modis divexari, multosq; injustè damnari passus esset, & Annam Burgæum, cum aliquot Senatoribus, in carcerem ob causam Religionis (minanter inquiens, se suis oculis ipsum cremari conspiciaturum) abduci jussisset, accepto in oculo lethali vulnere,

maxi-

maximos inter dolores dixisse fertur: Se valde vereri, ne quid iniquus contra Consiliarios commisisset! Et quamvis anno supra millesimum quingentesimo quinquagesimo nono, concessa sit Waldensibus quies, quo eodem anno pax etiam Hispanos inter & Gallos sancita est; privata tamen tyrannis in eos exercita haud quievit, imò planè nova tormentorum genera excogitavit; inter quæ Johanni de Roma usitatissimum illud erat: Implebat ocreas adipe fervescente; has tibiis eorum aptabat, quos scamno alligatos & supinos interrogabat, eo modo, ut tibiæ eorum super exiguum ignem subjectum dependerent. Hæc, teste Panthaleone, *In Art. Mort.* inquisitor privatus privatis fecit. Interim tamen illi hæc injurias, hæc carnificinas imperterrito sustinuerunt animo semperq; *p. 112.* publicos suos habuere conventus, publicas conciones; quapropter etiam in Valle Lucernensi, sive in Alpibus tum Regi Galliarum tum Sabaudia Principi Emanueli Philiberto subjectis, doctrinam suam profitentes armis petiti sunt iterum, circa annum seculi superioris sexagesimum, educto adversum eos exercitu Comitum Trinitensis auspicio. Verùm Lucernenses sive Convallenses natura locorum & angustiis Alpium adjuti, animo invicto se defenderunt, & injustam vim armis repellentes pugnarunt haud infeliciter; imò admirandas eos victorias ab hostibus reportasse, testis est Thuanus, ita scribens: *Desiderati sunt (in prælio cum Lib. 27. Trinitensibus) duo, ex Trinitensibus ingens & incertus numerus: ad A. 1561.* pars plaustris convecti & exportati, pars in Waldensium potestate remansere, qui mortuorum corpora terra mandarunt. Ipse Trinitensis, casu percussus palam dicebat: nunquam se ignavio-rem militem expertum esse, quàm ut ultimis istis cum rustica multitudi-*ne congressibus. Tot verò precedentibus præliis ac velitationibus ex Convallensibus tantum quatuordecim occisos memorant, rem miraculo propiore etiam ab hostibus habitam: ut palam in castris Sabaudicis jactaretur, jam manifestum esse, bellum quod adversus Waldenses gereretur, contra Dei voluntatem susceptum. Et quidem, Sebastino Virgilio ad prælium cum atrocibus minis vadenti, ab hospita prædictum scribunt, eo die re experturum, Sabaudia an Waldensium causa esset justior: nam se Sabaudia Ducis justior esset, ejus quoque fore victoriam. Cum itaq;*

itaq; ille vulneratus ac prope exanimis in diversorium referretur, tunc eandem hospitam inclamasse, Waldensium potio- rem esse, quippe qui cum exiguo numero contra tam potentem exercitum superiores existissent. Haec Thuanus. Igitur nova illis pax & libertas tributa Anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo. Posthac Waldensium Ecclesiae in Bohemia & Moravia librum varias Cantiones Ecclesiasticas, easq; idiomate Germanico conscriptas, & rhythmicas quidem notisq; Musicis illustratas, complectentem Inviictissimo Imp. Maximiliano II. Anno 1566 obtulerunt, per primarios tunc illarum Antistites, Michaëlem Tham, Johannem Geletzky & Petrum Herbertum Fulnecensem; è quibus Cantionibus retinemus illas nostris in Ecclesiis etiam nunc usitatas, *Christus der uns selig macht / & Nun lasse uns den Leib begraben* &c. ortum adeò trahentes à Waldensibus. Quorum Socii in Sabaudia paulò antè (A. nimirum 1565) novos iterum belli experti sunt turbines; donec A. 1580 Dux Carolus Emanuel denuò pacem iis & tranquillitatem concedebat; quæ tamen stabilis non fuit: subinde enim persecutio ibidem recruduit, maximè circa annum seculi hujus nostri vigesimum secundum, trigesimum secundum, quinquagesimum, & cruentius anno quinquagesimo quinto, quo Andreas Gastaldus, nomine Ducis Sabaudiae, media hyeme, cum omnia frigererigerent, eos edito è locis, qui jam à majoribus illorum multa per secula habitabantur, sub poena mortis & confiscationis omnium bonorum, nisi intra viginti dies fierent Papicolæ, migrare iussit. Frustra Ducem demississimè rogantes, discessum parant. Gastaldus Legionibus Gallicanis, Sabaudicis Hibernisq; stipatus, Furiarum in morem debacchatur, vastat agros, oppida diripit, depopulatur, incendit, non sexui, non ordini, non ætati ulli parcit, cæde ac sanguine complet omnia; & quidem tanta crudelitate, cujus recordatione obstupesco sanè, stant comæ, & vox faucibus hæret. Tacebo immanissimos illos barbaros multorum capita præcisa & ahenis excocta, foeminis item exsecta ubera & igne frixa, infantum deniq; jam faxis allisorum jam jugulatorum cerebrum, immanitate plusquam Cyclopea devorasse. Non dicam naturalibus præcisis ardentem candelam eos admovisse, ungues candentibus forcipibus evulsisse, & semimortua corpora, caudis bestiarum alligata, ad mortem per aspera raptasse. Aures, nares & alia corporis mem-

membra abscindere, ora pyrio pulvere implere, eoque incenso capita confringere, pudenda refecare eaque oribus intrudere, vivos excoriare ac pellem quadripartitam fenestris prætere, de- collare, corda pectoribus evellere, vivos comburere, confodere, suffocare aquis; ea verò levia videbantur omnia. Reliqui interim Waldenses, qui lanienam hanc effugiebant, cum viderent omnes se internecioni quoque destinatos, imò & fortunarum & vitæ, & æternæ salutis metuendam esse jacturam, injustam vim vi repellere cogitabant. Conclamatur ergò ad arma, eligitur Dux, nomine Josua Gianavel, prisca Heroibus comparandus. Ille exigua manu contra ingentes hostium acies tanta felicitate, tanto successu pugnabat, ut similia exempla in historiis vix ac ne vix quidem liceat reperire. Animadvertens verò Marchio Pianezza, summus Sabaudicæ militiæ præfectus, tot ac tantas quotidie suorum clades, literas ingentibus promissis refertas ad Gastaldum mittit, ut mutet Religionem; id nisi faceret, omni crudelitatis genere illum se persecuturum, uxoremque ejus & parvos liberos combusturum. At ille, nihil sibi Religione potius, a- jebat, neque ullam mortem, aut tormenta tam atrocia, quibus succumberet vel fidem abjuraret; quin potius illa promissa mi- nasque Marchionis animo sibi majorem reddere; occideret cor- pora innocentum uxoris ac liberorum, suumque, si in manus ejus deveniret; animas certè in manu DEI fore, nullamque ipsi in eas potestatem! Commissis igitur undecim præliis, cum jam lamentabilis Waldensium status vicinis pariter ac remotis inno- tuisset, hi misericordia illorum tacti Legatos ad Marchionem mittebant, qui respondit: Nullam Waldensium conscientis vim illatam, aut lanienam, ut apud externos spargatur, commissam; rebellionem justis armis castigatam esse; quæ quidem perpetua erat tantæ crudelitatis excusatio. Mittebant verò Angli, Belgæ, & Helvetii solennem ad Sabaudicæ Ducem legationem, quæ tan- dem imaginem aliquam effecit pacis, imaginem inquam: nam quamvis multa promitterentur, paulò tamen post novæ iterum persecutiones emerferunt; eæque hodie quam maximè recrudu- erunt. Ita Waldenses perpetuum miseræ exemplar præbent; ac dum Evangelium liberè profitentur, vita id sua, aut duris car- ceribus, aut jactura bonorum & exilio luunt. Interim exhorre- scunt Angeli, & mortales obstupescunt immanem hunc (quo uti

D solent

36
5
3
29
2
27
10
23
11
24
12
23
14
15
16
17

solent adversarii) Conversionis modum. Noli, summe DEVS!
 noli vindictam sumere tantis persecutionibus ac parricidiis debi-
 tam. Tuus, Christe, sanguis eluat hunc sanguinem! *Clamant*
Apoc. VI. anima sub altari eorum, qui mactati sunt propter verbum DEI,
 9. 10. 11. *Et propter testimonium quod tuebantur. Clamant voce magna,*
dicentes: Usque quod Domine, qui sanctus es et verax, non iudicas
nec vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?
Tum datae sunt singulis stolae albae, et dictum est eis, ut requiesce-
rent adhuc paululum temporis, usque quod compleantur etiam con-
servi eorum et fratres eorum, qui trucidandi sunt sicut et ipsi.
 Veni Domine JESU! Etiam veni cito! Gratia Domini
 nostri JESU Christi cum omnibus nobis!
 Amen.



Histo-




Historias didicisse juvat; juvat inde videre,
Quid valeas dulcis viribus eloqvii.
Theiologum studia ista decent; ut tempora
prisca

Noscat, & ut populum rite docere queat.
Hæc tibi quod cordi fuerint, HAVERE, probasti
Hoc scripto docto. Pergito, clarus eris.

*Interea secundum hoc,
idq; publicum eruditionis specimen
ORATORI OPTIMO
gratulatur*

M. JOH. FRIDERICUS DÜRRIUS,
Alumn. Nor. & Oecon. Inspector.



Qui fuerint olim Waldenses, quantaq; passi
CHRISTI cultores, a sæva & atroce co-
horte;

FACUNDE ORATOR, compto es sermone pro-
fatus.

Facto huic egregio fas est gratemur ut ore
Unanimi; jubet hoc pietas, & vincula amoris,
Queis sumus obstricti, jubet ipsa Oratio pul-
chra.

Nul-


36
3
29
27
10
11
14
15
16
17


Nullus nos habeat livor, non invidia ulla,
 Si tantum specimen comitari premia laudis
 Et fructus largos videamus: Namq; precamur
 Illa Tibi, votisq; piis exposcimus omnes.
 Interea tanto juvat indulgere labori,
 Dulciq; eloquio in docta florere cathedra:
 Ulterius pulchrum est recto procedere passu,
 Saxosaq; via Musarum, ad culmen honoris
 Scandere conspicuum. Gaudent sudoribus artes:
 Quos tamen exspectat magnum & memorabile
 nomen.


Ita
 Pereximio atq; Praestantissimo
 DN. ORATORI
 gratulantur

Ejus CONTUBERNALES
 in Alumneo Norico.









(15)

rærepta fuerunt, denuò sibi vendicarunt, ita
pastoribus, sine authoritate & consensu Ma-
nquam, ut loquuntur, copulare. Liberum
et relinquitur, vel à solo Magistratu, vel à
esente Magistratu & potestatem dante, co-

que summus Scopus Magistratus est, non se
ous Ecclesiasticis, sed res ad fidem spectantes
& arbitrio cujusque committere: ideò in sa-
piunt quicquam neque prohibent, sed solum
ciplinam tuentur, ne quis blasphemias &
ublicè exerceat, aut Remp. perturbet. Qui-
Jesum Christum secundum Scripturas pro-
& absque scandalo pacificè se gerunt, illi
onibus discrepent, ac errores suos habeant,
atur, & ut se mutuò quoque tolerant, ad-

rimis conantur *Presbyterianos & Independentes*
icem & tolerantiam adducere, eo præcipuè
quòd cum utriusque *Orthodoxam fidem profiteantur,*
propter solum diversum Ecclesiæ regimen collidi.
reformatas trans mare Ecclesias ad eandem for-
d quasdam adductius, remissius alias regi. Ne-
st pacembrevi coituram, utrisque multum
vore & obstinacia quotidie remittentibus,
nque erroribus suis, ad modestiam pronis.

De

